COMOEDIA LECTV VTILIS, ET IVCVNDA, TRACTANS DE MAtrimonio: alijsq́ rebus ſcitu dignis.

LIBELLVS AD LECTOREM.

Ne piè me lector tenui contemne cachinno,
Si non materia, carmina digna uides.
Scommata non iacco, ſed ludos tracto pudicos,
Inuenies fidei, conſona uerba legens.

Authore Materno Steyndoerffer.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

MOGVNTIAE *excudebat Iuo Schœffer.*
Anno M. D. XL.

74

INTERLOCVTORES CO-
moediæ.

Menalcas	Heintz	Primus prætor.
Coridon	Contz	Filius prætoris.
Mopſus	Gotz	Filius uicini.
Damætas	Seytz	Compotator.
Palæmon	Ditz	Secundus prætor & mediator.
	Elſa	Vxor primi prætoris.
Guttha	Geut	Cuſtos anſerum.
Martha	Metz	Filia Cuſtodis.
Katta	Gel	Cuſtodis uicina.
Niſa	Neß	Filia mediatoris.

ARGVMENTVM COmœdiæ.

ANnoſus pagi gnatum præfectus habebat,
Qui patrias ſolus lege tenebat opes.
Sed ne laſciuo corruptus amore periret,
Ducat ut uxorem ſuadet uterq; parens.
Proponunt auro uiduam, nummisq; potentem.
Annorum ſerie fœda, ſed illa fuit.
Non hoc promittit gnatus, nec denegat idem,
Attamen hanc dubia ducere mente timet.
Hæc igitur uigili dum ſecum mente uolutat,
Hic alij ſpondet mutua iura thori.
Virgo fuit tenui pauperrima ſtirpe creata,
Cuſtodem ſtrepitans anſer habebat eam.
Quàm ſe ducturum ſanctè promittit amicam,
Hac tamen excepta conditione prius:
Vt reticere uelit, non hoc dictura per annum,
Et ſibi communi nocte cubare thoro.
Annuit, & pactæ fidei ſine fraude ſtatura,
Ambo premunt unum nocte iubente thorum.
Vt ſolito gnatam non uiderat eſſe cubili,
Indigno mater pectore mœſta tulit.
Hanc igitur quærens uillam clamoribus implet,
Abſentemq; refert omnibus eſſe ſuam.

Obuia iurganti ſe præbet gnata uidendam,
Hoſpitium narrans matre iubente nouum.
Nempe ſuperba ſui cui uiſa eſt digna cubili,
Iactat diuitias imperiumq; proci.
Sic etiam mater meliorem ſe putat eſſe,
Ob generum cuſtos longius eſſe negat.
Quæ mox finitimi rediens ad tecta coloni,
Singula de gnata, ſed reticenda refert.
Non uicina tamen rimarum plena ſilebat,
Aſt hoc nunc gnato nunc referebat auo.
Hinc igitur ſparſus rumor per ſingula tectã,
Ilico prætori fit manifeſtus idem.
Qui gnato propter crimen ſuccenſus iniquum,
Ex patria profugum iußit abire domo.
Hinc ad finitimi præfectus ruris abibat,
Exorti belli qui mediator erat:
Linquendam ſuadet uiduam, preſſamq; puellam
Illi quo detur filia nupta noua.
Laudant conſilium ſponſi ſponſæq; parentes,
Gnatus at indigna mente ferebat idem.
Inde nouæ nuptæ recitatur formula pacti,
Compreſſæq; dedit quam pronis ante fidem.
Hæc linguam damnat ſemper ſine fine loquacem,
Se laudat tacitos poſſe tenere ſonos.

Nempe

Nempe refert patris ſe concubuiſſe miniſtro
Septenos annos, & tacuiſſe tamen.
Ergo prætoris gnato uitiata, ſed illa
Eſt famulo cum quo uixerat ante data.

PRECO.

CLarorum ſalue celeberrima turba uirorum,
Corpora quæ prebes conſpicienda tua.
Si non ingratum eſt, ſi non audire moleſtum
Quid cupiam prima dicere fronte uolo.
Principio noſtrum quod conueniſtis ad actum,
Maxima ob id uobis gratia agenda uenit.
Nunc ſi quorundam geſtus non fortè placebunt.
Actoris ueniam comita geſta date.
Hinc uxor petitur quæ debeat eſſe marito,
Quoq; modo coniunx ſit redamanda uiro.
Ne grauibus lacerent ſocialia fœdera rixis,
Legitimum fugiant triſtia bella thorum.
Vt gnatos recta poſſes ratione docere,
Abiectis uitijs, optima quæq; ſequi.
Nempe creatorem uenerandum mente benigna,
Omniaq; auſpicijs incipienda Dei.
Hinc ſine conſenſu thalami data uota parentum

Irrita, non ullum robur habere patet:
Atq; odioſa deo uiolenta ſuperbia quam ſit,
Exemplo cuſtos cuilibet eſſe poteſt.
Hoc quoq; garrulitas taxatur fœda libello,
Quo uitio maius mundus habere nequit.
Vos igitur placidas nobis aduertite mentes,
Atq; hylari noſtros ſumite fronte iocos.

ACTVS I. SCENA I.

Heintz. Elſa.

QValem præſtiterim me cõiunx chara maritũ,
Id notum conſtat perſpicuumq; tibi.
Debitus exhibui meritum tibi ſemper honorem,
Pro uotis omnes res cecidere tuæ.
Non furor armipotens in te mea brachia mouit,
Nec uolui in uultus unguibus ire tuos.
Qualia caſta decent & fœdera ſancta cubilis,
Officia exhibui pace referta tibi.
Talem te rurſus ſtuduiſti poſſe probare,
Feciſti officium ſedula nanq; tuum.
Et quod honeſtatis ratio præclara requirit,
Te ſcio non monitis obſtrepuiſſe meis.
Ergo etiam quod ſum tibi nunc dicturus idipſum,
Men-

Mente auida coniunx accipe chara precor.

Elſa.

O mea ſpes, mea prima ſalus, mea ſumma uoluptas,
Quando fui tibi dic officioſa parum,
Aut me morigeram ſenſiſti tempore quo non?
Si fuit in uotis chare marite tuis.
Quare me precibus tantis obtundere noli,
Ordine, ſed potius ſignificanda refer.
Si te conſilio potero fortaſſe iuuare,
Fiet pro ingenij ſimplicitate mei.

Heintz.

Vnicus eſt nobis (ut noſti) fœmina gnatus,
Huic uereor ne ſis blanda profecto nimis,
Ille hoc quod timeo, ſi uerum ſenſerit eſſe,
Eximium nobis imminet inde malum.
Ergo, ſi ſapis, & tibi mens, ſanumq; cerebrum eſt,
Materno nimius corde recedat amor.

Elſa.

Quis furor inuaſit tua pectora chare marite,
Te certe credo mente carere bona.
Nunquid præcipuo tu credis amore fouendum,
Quem ſub corde ſuo mater amica tulit.
Qua ratione negem forſan quid curæ petenti?
Aut me illi iraſci quomodo poſſe putas?

Heintz.

Iraſci?neſcis blanda indulgentia matrum,
Corrumpit natos peſtis acerba bonos.

Elſa.

Propter quem ſubijt permulta pericula uitæ,
Non illi eſſe poteſt dura nouerca parens.

Heintz.

Non de flagranti mihi ſermo fertur amore,
Erga quem prolem prouida mater habet.
Sed quo filiolis uitium permittitur omne,
Hinc taxo, peſtis non amor eſſe poteſt.
Tali ne pereat proſtratus fulmine gnatus,
Diſce illi poſthac, aſpera uerba loqui.

Elſa.

Non illud dulcis coniunx confido futurum,
Plenus uirgineo nanq; pudore domi eſt.

Heintz.

Verum eſt: ſed uulgi tibi non parœmia nota eſt,
Quod murem felis proſilijſſe uetet.
Quid feciſſe putas nobis abſentibus illum?
Vicini quoties limen adire ſolet.
Aut aliâs, ſi quando uenit peregrinus in ædes,
Cum præſens noſtrum neuter adeſſe poteſt.

Elſa.

Quæ mihi de gnati recitaſti chare marite,
Sum uerbis equidem ſolicitata tuis:
Dic igitur dignam ſi me quoq; ducis amore,
Quæ perpetrauit crimina quodue ſcelus?
An quendam manibus læſit? dictisue proteruis?
Eius de uitio quis tibi queſtus homo?
Me miſeram uereor, ne quæ cummiſerit ille,
Ingenuo puero crimina digna parum.

Heintz.

Non quod dedeceat iuuenem confecit honeſtum,
Id uero fieri, ſi patiare poteſt.

Elſa.

Chare marite refer, præſumas unde futurum,
Nec dubiam longo tempore me eſſe ſine.

Heintz.

Hunc ſis ætatem propè deſeruiſſe tenelllam,
Quattuor annorum luſtra referre poteſt.
Antea quo potuit ſtudio curauit agellos,
Confecitq́; ſui ſeduli iuſſa patris.
Iam ſibi commiſſos neglexit ſæpe labores,
Nec memor officij ſat fuit ipſe ſui.
Non illi pecudes curæ famuliq́; fuerunt,
Et petijt raro relligioſa loca.
Adde quod in primis mihi ualde uidetur iniquum,

Dediſcit ſtudijs æreq́; parta graui.
Quæ ſi nunc longum ſunt duratura per æuum,
Res eſt euentos non habitura bonos.
Fodere non ualet hic, nec equeſtribus utilis armis,
Non aptus manibus quærere poſſe cibum.
Ergo quid incipiet? qua conditione fruetur,
Ocia qui ſequitur deſidioſa gulæ.

Elſa.

Hoc altrix ſcelerum facit, & laſciua iuuentus
Ilico quæ iuuenes non ſinit eſſe ſenes.
Accelerans celeri pede circunſpecta ſenectus,
Mutabit mores, grande dabitq́; ſophos.

Heintz.

Qui mores prauos poterit mutare ſenectus?
Aut melior fieri qua ratione poteſt?
Nonne uides? ætate magis quo creſcit adulta,
Hoc plus nequitia criminibusq́; ſcatet.
Quottidie ludit, faſtidit pocula parua,
Raro cubat patrio nocte iubente thoro.
Hinc etiam uereor, ne publica ſcorta ſequatur,
Fœmineo forſan captus amore graui.
Nam mala corrumpunt mores conſortia rectos,
Et ſimili ſternunt fulmine ſæpe bonos.

Elſa.

Ille

Ille coercendus uerbis, & mente ſeuera eſt
A uitijs: quæ ſunt effugienda bono.
Tu ſi fortè probas, mihi conſultum eſſe uidetur,
Vt pergat ſtudijs inuigilare ſuis.
Aut diſcat proprijs manibus ſibi quærere uictum,
Vel ius in noſtram rector habere domum.

Heintz.

Recta refers, & ſermo fluit tibi uerus ab ore.
Non ego iudicium damno profecto tuum.
Quam primum præſens igitur conueneris ipſum,
Vt melior fiat, candidiorq́; mone.

Elſa.

Nil grauis irata poſſum illi dicere uoce,
Cum loquitur præſens mitia uerba mihi.
Quare tu potius (nam te magis illa ueretur)
Noſtram illi mente ſignificare uelis.
Si quid in hoc æqui, ſi quid reſtabit honeſti,
Promittet ſupplex optima quæq; tibi.

Heintz.

Hunc tu quod certe nimio uenereris amore,
Auſpex prædixi prouidus ante tibi.
Hei mihi tam molles quæ damna ſequentur amores?
Pernities uerbis non recitanda ſatis.
Conciliatricem cum te ſibi ſenſerit eſſe,

Et dirimi lites te mediante patris.
Præfractum cernes animis,& mente procacem
Tenentem riſu dicta paterna leui.
Ergo mone, uitam uitioſam linquat ut ipſe,
Et mihi reſponſum quod dabit, inde refer.

Elſa.

Illi tu potius rem me præſente recenſe,
Sola ego huic nequeo ſeria uerba loqui,
Hic te conſilio potero ſi fortè iuuare,
Inueniar certè deſidioſa parum.

Heintz.

Verba miſer fruſtra non proficientia fundam,
Si cum tu præſto es iurgia ſæua loquar.
Ilico ſtillantes lachrymas ſine fine profundes,
Nimirum madidas exhibitura genas.
Hæc etenim matres affectas mente uidemus.
Cum grauis in natos ira paterna furit.

Elſa.

Falleris iſta putans, fortiſsima ſtabo uirago,
Decidet ex oculis guttula nulla meis.

Heintz.

Tu tamen exortam cupies componere litem.
Et gnatum irato conciliare patri.

Elſa.

Non opus eſt iſta pectus corrodere cura,
Ira mihi uehemens eſt ſimulanda loco.
Quæ noſtri eſt igitur ſermonis origo futura?
Quid prima gnato dicere fronte ſubit?

Heintz.

Vxorem dabimus, conſultum ſi fore credis,
Hoc tractabilior compede uinctus erit.

Elſa.

Hæc quam habet ætatem? quod nomen? quosue pa- (rentes?
Multas diuitias poßidet illa quoq;?

Heintz.

Defunctus uiduam nuper Pincerna reliquit,
Quæ matris coluit proxima tecta tuæ.
Hæc eſt diues opum, morumq́; experta bonorum,
Quos bene moratus ciuis in urbe probat.

Elſa.

Ah uereor grandæua nimis uideatur illi,
Canities iuueni res odioſa uiro.
Terrebunt illum uetulæ ſine iurgia fine.
Iurgia fœminei ſpicula prima thori.
Nubere præterea gnato ne relicta recuſet,
Prima premit mentem ſollicitudo meam.

Heintz.

Nulla hæc connubium poterit ratione negare,

Si modo non renuet ducere gnatus eam.
Hic uultu teneo ſubſellia prima ſeuero,
Me dominum pagi ſubdita turba timet.
Hæc ſi non precibus noſtris ſuccumbere uellet,
Vi, quæ ſponte negat, nota coacta dabit,

Elſa.

Iudicium melius tibi ſit dilecte marite,
Hac in re cogi nemo profecto poteſt.
Quantaq; coniugium comitentur damna coactum,
Hoc exempla ſatis quottidiana docent.

Heintz.

Mutua conuincunt odium conſortia dirum,
Conſuetudo frequens quid ſuperare nequit?

Elſa.

Ah tecum patrij ſi quid modo reſtat amoris,
Non uetulam gnato obtrudere uelle ſtude.
Sed potius tecum ſapienti mente uoluta,
Euentus num ſit res habitura bonos.

Heintz.

Immoror hic, noſtro dicturus ſingula gnato,
Quæ ſcis me tecum conſtituiſſe modo.

ACTVS I. SCENA II.

Contz. Elſa. Heintz.

Que

SCENA II.

QVo nunc conſilio? qua nunc ſpe prodeo demens?
Quid miſer incipiam? quo pede abibo domum?
Nudauit cunctis me fallax alea nummis,
Tradendos dederat quos mihi mater auo.
Alea quem pernox, quam tu damnoſa fuiſti,
Quam præceps, atrox, blandaq́; iniqua nimis,
Me pater excipiet redeuntem uoce tonanti,
Proq́; manu fuſtem porriget ille mihi,
Hac quod nemo domi me uidit luce fuiſſe,
Tractabor miſeris excipiarq́; modis.
Amiſſos taceo nummos, ſcit reddere mater,
Irati timeo uerba ſeuera patris.
Sed quantum potero, me reſpondere parabo.
Pollicitis fient mitia corda fera.
Hei patrem uideo matri pro more loquentem
De me, ni fallor, talia uerba ſonant.
Hinc ego ſi accedo, ſcio iurgia multa parata,
Sin minus, & fugio, prodor ubiq; reus.
Eſt tolleranda tamen correctio ſæua parentum,
Vt pote quæ ſummo miſſa tonante uenit.

Elſa.

Iram mitte tuam, quod non acceſſerit ultro,
Certa uerecundi ſigna pudoris habe.

Si

Si tua uir dulcis ſententia iudicat æquum,
Præſentem uerbis huc reuocabo meis.

Heintz.

Me, niſi mens fallat, non illum cauſa pudoris,
Sed ſümptum uinum, longius ire uetat.

Elſa.

Rem blando totam gnato ſermone recenſe,
Quo tua commodius noſcere dicta queat.

Heintz.

Fac ueniat, procul eſt à me grauis ira remota,
Quod uolo ut efficiam, uerba benigna loquar.

Contz.

Quid cupiant miror ſibi mutua uerba parentum,
In me, ni fallor, cuditur illa faba.

Elſa.

Huc ades ô fili charosq; accede parentes,
Te plus quàm uitam curat uterq; ſuam.
Quid te ſollicitus timor impedit ire uolentem?
Cur ceptum dubitas pergere prorſus iter?

Contz.

Ingratum quod ſit nihil audio, ſiue moleſtum,
Eueniet præter ſpem fortè meam.
Accedo: chari multum ſaluete parentes,
Quos ego plus oculis diligo amoq; meis.

Auditum uenio materna uoce uocatus,
Quid placeat uobis ſignificare mihi.

Elſa.

Quod neuter noſtrum te uiderit optime gnate,
Dic hodie quæ te detinuere loca.
Aut cur adueniens, ceu ſumma negotia tractans,
Omnibus uſq; modis obſtupefactus eras.

Contz.

Verum eſt, in campo fueram, noſtroq; ſalicto,
Omnia miratus ſtantia dona Dei.
Quid uiolas memorem? uarij floresq; colores?
Quales uel præſens pingere Coe nequis.
Creſcentes uuas, ſurgentia lilia miror,
Quaſcunq; & fruges reddere terra ſolet.
Hinc repetens pagum, multis quoq; ſumptibus ædes
Conſpicor extructas, ilico miror idem.
Admiror mores hominum, ueſtesq; ſuperbas,
Fœminei faſtus uirgineiq; chori.
Hæc inquam uigili dum mecum mente uoluto:
Obſtupui, quo nam neſcius ire uelim.

Elſa.

Artes ingenuas quas te didiciſſe uidemus,
Ingenio fixas conſtat ubiq; tuo:
Non te pœniteat ſumptus dilecte marite,

In ſtudijs gnato ſuppeditaſſe bonis.
Acre hoc iudicium, dotes animiq; celebres,
Obtinet ex ſtudij ſedulitate ſui.
Quod fili præſens noſtros curaris agellos
Perplacet, & moneo ſæpius illud agas.

Contz.

Quod mihi commiſſos abſumpſerit alea nummos
Hoc ſcio, quid noſtris neſcio fiat agris.

Elſa.

Hem quid ais? quales tacito ædis murmure uoces?
Expreßis recita uerba tacenda ſonis.

Contz.

Poſthac facturum me noſtra negotia dixi,
Solerti cura, perpetuaq; fide.

Heintz.

Scurrarum leuium, quid peruerſißime gannis?
Mixta tuis uerbis alea nonne fuit?

Contz.

Non nego, ſed ſpretis curare domeſtica ludis,
Hoc ego quod dixi rectius eſſe putem.

Heintz.

Hæc uox à ſuperis: te præluſiſſe putabam
Nummos, in triuijs finitimiſue locis.

Contz.

Vnde

Vnde mihi ueniet ludendi tanta facultas?
Qui mihi non aſſem dinumerare ſolet.
Elſa.
Non opus eſt nobis præludia dicere multa,
Illi quæ uolumus ſignificanda puto.
Ipſius ut rurſum poſſimus noſcere mentem,
Ceptaq; ſuccedant commodiore uia.
Contz.
Dicite dilecti multum chariq; parentes,
Propoſiti ueſtri ſymbola certa mihi.
Heintz.
Dum mecum reputo, quàm ſic laſciua, procaxq;,
Siue iuuentutis luxurioſa cohors.
Quanta incommoditas conſortia praua ſequatur,
Mutari mores mando uoloq; tuos.
Id ſtatui cum matre tua, mihi coniuge chara,
Non impugnari firma ſtatuta uolo.
Fœdus amor peram ſpoliat, mentiſq; uigorem
Aufert, & iuuenes lumine priuat idem.
Te ne conſimili proſternat tabe cupido,
Eſt tibi legitimo fœmina danda thoro.
Quo poſſes iuxta ſummi præcepta tonantis
Liber ab immundis uiuere criminibus.
Contz.

Quin hodie pulchram mallem duxiſſe puellam
Quàm cras, hoc uerum nam nimis eſſe uelim.

Heintz.

Quid ſibi uult clauſo quod tecum concinis ore,
Altiſona cupias quid tibi uoce refer.

Contz.

Vxorem facile me ducere poſſe negabam,
Aetatem propter molliciemq́; meam.

Heintz.

Eſt mihi diues opum cultarum fœmina nota,
Hanc ſpero, ſi uis, me dare poſſe tibi.

Contz.

Tunc ludam, & tendam uenator retia ſcortis,
Continua uinum nocte dieq́; bibam.

Heintz.

Quas tamen auerſa depromis fronte loquelas,
Cur tecum tacito murmure uerba refers?

Contz.

Me dixi iuuenis functurum ſemper honeſti
Officio: quæ ſit ſi modo ſcire queam.

Heintz.

Quam nuper moriens uiduam pincerna reliquit,
Hæc de qua præſens eſt mihi ſermo, fuit.

Contz.

O illi

O illi facies nimijs eſt conſita rugis,
Quin glabram potius da mihi chare pater.
Cum caput annoſum canis ſplendere uidebo.
Hanc potero nullis prorſus amare modis.
Nunquid habet dentes ſcabra rubigine plenos,
Qui uelut his anno non foret uſa micant.
Illius fluuij ſtillantia more ſonantis,
Lumina cum cerno: quid mihi mentis erit?
Quid multis? in ea non eſt pars, laude & amore
Digna: uel ut iuuenis tangat & optet eam.
Quare non uetulam, ſed pulchram obtrude puellã,
Luſtra tria annorum quæ numerare poteſt.

Heintz.

Eia non opus eſt oleum ſuperaddere flammis,
Annum bis decimum tuq; referre nequis,
Quæ te compeſcat tenueſq; immittat habenas,
Scilicet eſt iuueni danda marita uiro.

Contz.

An plures etiam nunc cogar habere magiſtros,
Illis cum ſcateat tota paterna domus.

Heintz.

Quid rurſus tecum rauco clamore ſuſurras,
Cur faciem uertis te recitante tuam?

Contz.

Hoc mihi iam tacitis uerbis nec inutile dixi,
Si reſpondendi ſit mora parua mihi.
Elſa.
Detur ei tempus. Heintz. Facio. Elſa. charißime fili,
Si ſapies, patris iuſſa capeſſe tui.
Contz.
Hoc equidem facerem mater dilecta libenter,
Si demptis annis iunior illa foret.
Elſa.
Tu quod te docuit loqueris maleſuada iuuentus,
Duc hanc, & te non ditior ullus erit.
Illa nequit longos etenim ſupereſſe per annos,
Inde tuo uiridis danda puella thoro eſt.
Contz.
Si mox ad Stygias undas deſcendere uellet,
At fieri certo quis fideiuſſor erit?
Elſa.
Tecum perpendas te commoda quanta ſequentur.
Nam cras reſponſum patre rogante dabis.
Contz.
Perpendam mecum: ſed & hoc pater optime dicas,
An liceat ſocios conſuluiſſe meos.
Heintz.
Sit licitum: nemo nam diſſuadebit idipſum,

Ni ſponſam cupiat ducere fortè tuam.

Contz.

Hac igitur ſi fortè domi non nocte cubaro,
Conſenſus debet nunquid id eſſe tuus?

Heintz.

Nil moror: hoc tantum nunc uiribus effice totis,
Vt quid conſtituas certior eſſe queam.

Contz.

Hac ergo iubeo uos nocte ualere parentes,
Hinc eo: ſed ſurdo cantat uterq; parens.

Heintz.

Quæ tu chara putas coniunx reſponſa daturum
Gnatum: ni fallor, optima quæq; dabit.

Elſa.

Non dubito. Hei. Sed nunc repetamus limina noſtra.

Elſa.

I præ, continuo chare marite ſequar.

ACTVS I. SCENA III.

Contz. Metz.

NVnc eſt conſilio, nunc eſt ratione neceſſum,
Quid cras reſponſi patre rogante dabo.
Ille mihi uiduam ui uult obtrudere ditem,
Attamen hanc turpem plurima ruga facit.
Iactatur paſſim cunctis ſententia nota,

Nil niſi fœmineus iugia lectus habet.
Præſertim uires habet hæc parœmia plenas,
Cum ſponſo iuueni, ſponſa locatur anus.
Iurgia uerberibus ſi pellere forte ſtuderem.
Innumerus qui me culpet amicus erit.
Ducere ſi renuo, uiuo pauperrimus Irus,
Nanq; parens nummos ſuppeditare negat.
Ergo quid faciam? non iuſsis eſſe parentum,
Ipſe reſiſtendum ſatq; ſuperq; ſcio.
Turpe nihil gnatos mandant præſtare parentes,
Quod queat ex aliqua parte nocere malum.
Sed parui facio, ſubeunt ampliſsima dona,
Ad me quæ noui morte redire patris.
Heres diues ero, pulchram uolo habere puellam,
Auchat hinc uiduam nigra caterua ſtygis.
Talia me ſtatui patri reſponſa daturum,
Meq; meo tandem uiuere uelle modo.
Sed modo non poſſet Rhamnuſia iuſtior eſſe,
En oculis prodit grata puella meis.
Iam ſunt quæ cupio data tempora iuſta petendi,
Accingar: ſalue lux mea, cedo manum.

Metz.

Di tibi pro blanda dent premia digna ſalute,
Quo greſſum tendis uir generoſe tuum?

Contz.

Contz.

Exſpatiaturus uenio: ſed chara puella,
Vnde tibi uideor generoſus ego?

Metz.

Cum teneat uultu ſubſellia prima ſeuero,
Et reliquos inter præſtet honore pater.
Quo te iam præſens dixi poſthacq; uocabo,
Hoc equidem merito nomine dignus eris.

Contz.

Quò properas adeò feſtinans ire locorum?

Metz.

Maternum celeri limen adibo pede.

Contz.

A te ſi poſſum precibus contendere quicquam,
Te precor (ut dicam quæ uolo) ſiſte gradum.

Metz.

Quamuis exigui uideatur id eſſe laboris,
Quod petis, ex uotis attamen eſſe nequit.
Turpe eſt matronis, & caſtis turpe puellis,
In uico iuueni plurima uerba loqui.

Contz.

Audi pauca tamen, caſtis indigna puellis
Non loquar, at caſtas qualia uerba decent.

Metz.

Quidquid id eſt paucis ſi uis tamen exprime uerbis,
Vt iuſto matris tempore tecta petam.
Contz.
Te mihi legitimo iungi ſine fine cubili,
In ſocij poſco mutua iura thori.
Metz.
Cur age me miſeram tentas ſeducere fraude,
Non poſſunt ullis iſta coire modis.
Contz.
Non equidem ludo fraus hinc aſtuta faceſſat,
Hoc tibi me uehemens dicere cogit amor.
Metz.
Sic certè miſeræ falluntur ſæpe puellæ,
Cum iuuenum fidei conſona uerba putant.
Contz.
Si tecum ſolito me credis ludere more
Erras, ex animo ſeria uerba loquor.
Hoc tibi quo conſtet meliùs, firmumq; putetur,
In ſignum, dextram daq; reſume manum.
Me tibi promitto ſponſum ſine fraude futurum,
Hoc quoq; tu rurſum pollicitare mihi.
Metz.
Nunquid te docuit paſtoris concio noſtri,
Vanam coniugij non patre dante fidem.

Quare dilectos tibi conſulo quære parentes,
Si licet illorum pace, redire potes.
Contz.
Quæ mihi de patrio conſenſu uerba recenſes,
Tam rata non hæc ſunt qualia forte putas.
Sanctio legitimi thalami duo uota requirit,
Virginis atq; uiri nil aliena ualent.
Hæc tibi conditio ſi non temnenda uidetur
Annue, uel ditem duxero ſponſus anum.
Se tibi non præbet facilis fortuna ſecundam,
Hæc dea ſpreta ſemel raro redire ſolet.
Metz.
Cras ubi conſilium de chara matre rogabo,
Reſponſi poteris certior eſſe mei.
Contz.
Craſtina quò reuocent me noſtra negotia neſcis,
Hinc eo ſi dubius, te mala damna manent.
Promittar uiduæ locupleti patre iubente,
Ni mihi des certa conditione fidem.
Metz.
Tam mihi felicem dum ſe dea lubrica præbet,
Et nihil iniuſtum quod petis eſſe poteſt.
Me tibi promitto comitem ſponſamq; futuram,
Dum uita fruitur ſaluus uterq; ſua.

Contz.

Eſto coniugium tamen hac ratione, per annum
Celetur patrem pollicitata fides.
Sin minus, & fuerit multis ea cognita fama,
Me nego conſtanti uoce dediſſe fidem.

Metz.

Eſſem deſipiens & ſtulta profecto puella,
Prouida ſi factum non reticere queam.

Contz. *(putato*

Cedo manus. Metz. *En ſume tibi.* Contz. *Rata uota*
Quæ dedimus. Metz. *Ceptis Iuppiter alme faue.*

Contz.

Quandoquidem dextris, certis uerbisq; ligati
Nos ſumus, inq; uno corpore membra duo.
Nunc tibi ſponſus ero, mihi tu celebrabere coniunx,
Donec mors rumpat uincula noſtra ferox.
Et quo connubium noſtrum minus impediatur,
Hoc uno uolumus nocte cubare thoro.
Sic ea quæ uerbis noſtrum promiſit uterq;,
Re confecta magis uincula certa manent.
Non tibi dedecorat mores, nec turpe putatur,
Debitus ut coniunx non ut adulter amo.

Metz.

Hac moderare preces, cum nos coniunget in æde

Sacri.

Sacrificus, recitans iuſſa beata Dei.
Tunc ero quod iuſtum eſt, deceat ſponſamq́; pudicā,
Hac in re ipſa lubens officioſa tibi.

Contz.

Hæc eſt quam dixi tibi confirmatio uera,
Nulla ſacerdotum firmior eſſe poteſt.
Publicus hic aliud nil uult conuentus in æde,
Teſtem legitimi quàm populum eſſe thori.
Quare cum mea ſis, quæ mando confice iuſſa,
Nil conſulturum me tibi turpe puta.
In prima thalami ſi uis fronte eſſe rebellis,
In medio coniunx poſtmodo qualis eris?

Metz.

Si tecum id certa ſtatuiſti mente futurum,
Infelix cogor morigera eſſe tibi.
Hei mihi, quàm triſti mandatum corde ſubibo,
Tiſiphone noſtras pulſat acerba fores,
Si non maternum repeto pro more cubile,
Excipiar uerbis uerberibusq́; feris.

Contz.

Non tibi ſponſus ero, mea ſi mandata recuſas,
Ipſemet hac patris deſero nocte domum.

Metz.

Quandoquidem ſub iure ſui ſtat ſponſa mariti,

Communi uideor lege ligata tibi.
Hoc igitur ceptum Di fortunate benigni.
Tali connubio eſt ſæpe Megæra comes.

Contz.

Ah quid ſtulta times, melius quàm fortè putaſti
Res ea ſuccedet, tu modo me ſequere.

ACTVS II. SCENA I.

Geut.

O Me infelicem, nec dextro ſydere natam,
Exigua nimium proſperitate fruor.
Hei quàm contraxit uultus fortuna ſerenos,
Eſſe ne flebilior me creatura poteſt?
Solam triſtitiæ me natam cerdo ferendæ,
Omni quæ uideor concumulata malo.
Principio miſero ambebam uirgo marito,
Iro pauperior ille maritus erat.
Nanq; ſues brutos, paſtor paſcebat, ouesq;
Qua ſibi quærebat conditione cibum.
Officio ſimili cuſtos contempta fruebar,
Hinc inopem uitam uixit uterq; diu.
Ille mihi poſtquam morte eſt ablatus iniqua,
Aerumnas auxit ſæua Megæra meas.
O quàm magna manent uiduos incommoda lectos,

Fert

Fert nobis miſeris nemo rogatus opem.
Vnica gnata mihi eſt, quam quiſq; caſtam putauit,
A recta, ſed nunc incipit ire uia.
Propter concinnos mores, uitamq; pudicam,
Semper apud cunctos audijt illa bene.
Sed quò peruenit? ſpe ſum fruſtrata miſella,
Quo fugit petulans? hac ubi nocte fuit?
Me, niſi mens fallat, iuuenum blandiſſima uerba
Hanc deceperunt, neſcia nanq; doli eſt.
Ante peregrinas nunquam (non matre uolente)
Quæſiuit ſedes, Me periiſſe uellm.
Nec dubito ſi quid penetrauerit illa maligni,
Hunc uitæ extremum me releuare diem.
Sed iam quo miſeras poſſim deflere ruinas,
Vilia pertriſti limina corde peto.

ACTVS II. SCENA II.

Conditor omnipotēs tibi ſummas nūcio grates
Laudibus æternis te ſine fine canam.
Quod me fortunæ tenuis, ſpretamq; miniſtrā
Feciſti ſubito tempore magnificam.
Nam qualem cuperem (uel ſi cupijſſe iuuaret)
Eſt mihi iam ſponſus te mediante datus.
Non poſſem merito fœlix diciq; beata.

Quæ præ tot reliquis prima puella putor.
Inuidet hunc certe pagi mihi totus honorem,
Noſtri uirgineus fœmineusq; chorus.
Illi ſe ſocerum diues pincerna futurum,
Credidit & gnatos incola diues habens.
His ſi prodeſſent optantia uota precarer,
Inualidos iungi raucidulosq; ſenes,
Qui præter tardum ſtrepitum, tuſsimq; moleſtam
Nil poſſunt, pigro crimen onusq; thoro,
Sed nunc præterij ſyllas ſyrtesq; cruentas,
Optatum portum nautica puppis habet.
Si materna parum fuerit munita crumena,
Auxilium nummis gnata petita feret.
Si modo (quod ſpero) potero compeſcere linguam,
Tunc fortuna meas imminet ante fores.
Sed niſi falſa meam ludant præſagia mentem,
Alea pro uotis non cadet iſta meis,
Nam ſine conſenſu contractus raro parentum.
Sortitur fines, conſequiturq; bonos,
Me contra aduerſus ſi nullus flauerit auſter,
Et data coniugij fœdera certa manent.
Non tamen effugiam maternas filia fuſtes,
Iurgia quæq; mihi litigioſa feret.
Iuſta quod haud redij ſi quæ ſit cauſa uidebit,

Quin

Quin poſſet dubito mitior eſſe nihil.
Nam me legitimo thalamo cui deſtinor uxor,
Debitus ut coniunx, non ut adulter amat.
Sed ne dum ſolitos (reuocat iam lucifer ortus)
Vicinis uidear, cogor abire domum.

ACTVS II. SCENA III.

TAm uehemens mentem mihi ſollicitudo, dolorq;
Vt nequeam in tectis tuta manere premunt.
Hæc abducta nouum num ſit comitata maritum
Experiar, lateat filia quoue loco.
Me tempeſtiue nimium ne cubile petentem,
Cum non purpureos ſol relegarat equos,
E dulci uoluit non perturbare quiete,
Nanq; eius dubito de probitate nihil.
Altiſono in miſerum culmen clamore uocabo,
Forſan in anglo aliquo ſomniculoſa iacet.
Filia ſi dormis uultus attolle iacentes,
Reſponde ſi quæ te tenuere loca.
Nil prodeſt clamor, querula nil uoce iuuabor
Vicinæ repetam proxima tecta meæ.

Metz.

Nunc agitur de me, matrem cognoſco uocantem,
Quàm ſtupidi recta ſtant mihi fronte pili,
Omnibus ex tanto fletu mea facta patebunt,

Illam in celeri conor adire pede.
O mihi plus oculis chariſsima mater amanda
Salue, quid clamor uult tuus iſte ſibi?
Geut.
Perdita crudeli tua uerbere terga notabo,
Quod tibi præterita nocte cubile fuit?
Metz.
Non adeò claras mater deprome loquelas,
Affectus potius, fac moderere tuos.
Geut.
Nil agis iratam nequeo compeſcere mentem,
Cur me clariſona dicere uoce uetas?
Affectus ni irata meos moderarer habenis,
Aut annis uellem parcere forte meis.
Vnguibus his nitidam faciem tibi perdere uellem,
Horreat ut uiſum publica turba tuum.
Metz.
Si locus eſt precibus mater dilecta relictus,
Te precor ut tacite dixeris iſta mihi.
Omnia cum ratio non temporibus apta uetabit,
Hoc apparebit me recitante tibi.
Geut.
Omnia cum damno noſtro mihi fortè patebunt,
Cum me uel ſurdam uel procul eſſe uelim.

Quidquid id eſt non eſt me præceptore peractum;
  Dic quis te iuſsit linquere nocte domum?

Metz.

Tu modo uicinis reſonent ne iurgia noſtris,
  Quidquid habes tacita uoce recenſe precor.
Si tum firma ſatis mea non reſponſa uidentur,
  Subijciam pœnæ corpora noſtra libens.

Geut.

Neglectis igitur longis ambagibus, ipſam
  Rem ſine fucata fraude doloq; refer.

Metz.

Ah pudet, & timeo, quia me mala damna manebunt,
  Hic rumor populo ſi manifeſtus erit.

Geut.

Si ſcelus aut crimen, te commiſiſſe fateris,
  Non excuſabunt te pudor atq; metus.
Quare ſi pugnos uis euitare paternos,
  Quidquid id eſt claro dicere perge ſono.

Metz.

Hoc age, ſi totum poteris reticere per annum,
  Conſpicuum nomen pluet inde tibi.
Sin minus, inſigni uitio cantabere mater,
  Inq; graui damno filia ſemper erit.
Ergo quod extremum ſuadet reticere neceſſe,

Non percontari mater amica uelis.

Geut.

Me ne putas linguæ pro tempore poſſe fauere,
Si quid nobiſcum commoditatis habet.

Metz.

Iam quia me cogis, cogor quoq; dicere uerum.
Tu modo ne fiat publica fama caue.

Geut.

Si res, ut ſpero, ſatis eſſe uidetur honeſta,
Tunc tacito mecum gaudia condo ſinu.
Si uero indignum uiridi caſtaq; puella,
Aequus haud ullus qui tegat illud erit.
Ergo non opus eſt hac mentem mole grauari,
Audiet hæc nemo, dum mea uita ualet.

Metz.

Sum clarum forma, ditemq; ego nacta maritum,
Qualem uix ciuis diuitis uxor habet.
Prætoris noſtri proles, atq; unicus hæres,
Palladis ingenuæ qui ſtudioſus erat.

Geut.

Callida me forſan tentas ſuſpendere naſo,
Concubitus credam quod petat ille tuos.

Metz.

Certius hoc nihil eſt, & ne hæc incerta putentur,

Vincula

Vincula connubij legitimiq; thori.
Hac in caupona nos condormiuimus ambo,
Illa fidem dictis iunctio ſola facit.

Geut.

O male feciſti, non hoc eſt uirgine dignum,
Qui te ſeduxit deuius error erat.

Metz.

Clamores moderare tuos, res optima noſtra eſt,
Me facti nondum pœnituiſſe ſcias.

Geut.

Es miſeris decepta modis, non quiuerat eſſe
Ad fraudes illi promptior ulla uia.
Quod crimen totum reticeri iuſsit in annum.
Non fieri ſciuit prouidus illud idem.
Fœmineam nouit turbam non poſſe tacere,
Atq; anni multos unius eſſe dies.
Cur te in cauponam? loca nec ſecreta uocauit?
Vt quoq; reſciret publicus hoſpes idem.
Fortunata parum mea filia, quid faceremus?
Hoc ſi conſtanti uoce negare uelit.

Metz.

Non faciet, ſummo res committenda tonanti,
In melius qui ſcit uertere cuncta mala.

Geut.

Elato poſthac animo mea filia fies,
Mutabis mores ſorte iubente noua.

Metz.

Quo magis humano generi fortuna benigna,
Hoc minus abiectos ſpernere uelle decet.

Geut.

Sed fortaſſe mei uiues oblita, tuosq;
Deſpicies, quorum eſt copia uilis opum.

Metz.

Illud ſi facerem, nec numina diua uererer,
Digna eſſem pœna, ſupplicioq; graui.

Geut.

Veſtibus es nunquid me donatura nouellis,
Cum ſocij thalami limina prima petes.
Hæc quod matronis non ſcit locupletibus apta,
Teſtatur laceræ plurima rima togæ.

Metz.

Omnia pro uotis quæcunq; optaris, habeto,
Tu ne quid dicas, garrula quæſo caue.

Geut.

Sed mihi quid ueſtes poterunt prodeſſe decoræ,
Dum mihi ſit tenuis uictus, ut ante fuit.
Perdices ſemper, lepores, piſcesq; uorabis,
Cum mihi erit præter frigida piſa nihil.

Metz.

Metz.

Nobis perpetuo communis menſa futura eſt,
Sic cum delicijs optima uina bibes,
Officij curam ſoliti compellor habere,
Paſtum palmipedes hinc eo rurſus aues.

Geut.

I dilecta mihi proles, cum pace frequenti
Fama, decus matris, ſplendor, honosq; tuæ,
Ignoro cauſam, uideor mihi ditior ipſa,
Et quodam faſtu membra tumere mea.
Hinc mactaturus gallinam uado, neceſſe eſt
Me delicatos eſſe deinde cibos.

ACTVS III. SCENA I.

Metz. Contz.

SI noua lætitiæ nunc ædere ſigna liceret,
O quantos uellem uoce referre ſonos.
Cantica nimirum prius haud audita ſonarem,
Omnibus ut fierent gaudia nota mea.
Sed quia me ſancte promiſi uelle tacere,
Compellor me digitis labra tenere meis.
Exhibitura tamen frontem uultumq; ſerenum.
Vt me felicem plurima turba ſciat.

Contz.

Si bene proſpicio, nec me mea lumina fallunt.

Progreditur lætans obuia ſponſa mihi.
Quomodo cum chara ſucceßit matre requiram,
Salue lux uitæ, ſponſa futura meæ.

Metz.

Tuq; iterum ſalue, quæ nos bona numina iungunt,
Sponſe ſodalitij maxima cura noui.

Contz.

Neſcio, ſic ſuperis rectum fortaſſe uidetur,
Quò uia te ducit? dura ne ligna leges.

Metz.

Non: uerum in campum ſpatior pro more patentem,
Immemor haud noſtri muneris atq; loci.

Contz.

Me tibi couiungo comitem, ne ſola recurras,
Sic poterit multo mitior eſſe uia.

Metz.

An uideor rurſus tibi decipienda miſella,
Quæ propter te hodie uerbera ſæua tuli.

Contz.

Ergo tuæ matri res te narrante relata eſt,
Noſtros concubitus nunquid & illa probat?

Metz.

Si uolui horrendas plagas, & uerbera dira
Effugere, id matri dicere pulſa fui.

Ipſa

Ipſa etiam memori uerba hæc mea condidit auri,
Nec ſe dicturam pollicitata mihi eſt.

Contz.

Ad portum ſaltem te concomitabor euntem,
Si comitem nolitis totius eſſe uiæ.

Metz.

Non illud poſſum tibi chare marite uetare,
Sed ne præteriens ſentiat iſta caue.

ACTVS III. SCENA II.

Gel. Geut.

Gel.

QVid ſibi colloquij tot mutua uerba requirunt?
Magnus ut hoc faciāt ſuſpicor urget amor.
En iuuenis ſequitur celeri pede nónne puellā?
Hic ego, ni fallor, dulcia furta petet.
Egreditur mater fontem tractura puellæ,
Mutuus hinc noſcam quid ſibi ſermo uelit.
Ire age quò properas ò cuſtos optima ſalue.

Geut.

Nomine uicinæ non tibi digna putor?

Gel.

Te non indigna credebam mente laturam,
Es poſthac alia uoce uocanda mihi.

Geut.

Non ita me tenui miſeram contemnito riſu.
Me quoq; ditandam tempore ſpero breui.

Gel.

Si fortuna uolet totum regina per orbem
Crœſi diuitias Irus habebit inops.
Aſt unum uenio precor hoc ignoſce rogatum.

Geut. *Per me ſi placeat tuto rogare potes.*

Gel.

Si ſua prætori foret uxor mortua noſtro,
Illi te ſponſam colligo poſſe dari.
Quid ſibi uult riſus? nec non tuus iſte cachinnus,
Nunquid iam uideor uera locuta tibi?

Geut.

Rideo tam ſtultas quas promis inepta loquelas,
An tibi tam celebri coniuge digna putor?

Gel.

Eſt aliud tacita quod tecum mente uolutas,
Lætitiam produnt uerba ſuperba nouam.
Cumq; tua gnata, gnatum prætoris euntem,
His oculis uidi, luminibusq; meis.
Dic ſi quid noſti, non me dicente patebit,
Do me perpetuo uelle tacere fidem.

Geut,

Cuſtodes tanto quod dignas reris honore,

Tam

Tam clarum riſum te memorante moues.

Gel.

Omnis amicitiæ noſtræ contractus abibit,
Ni potero iſtius certior eſſe rei.

Geut.

Non adeo ſeni rurſum ſeruire potenti,
Mutata pauper conditione poteſt.
Sed quia me precibus crebris obtundere pergis,
Mira tibi certe, ſed reticenda loquar.

Gel.

Garrula non ego ſum, reliquarum fœmina more.
In re ſum ſimili cognita ſæpe tibi.
Mutuo de noſtro cum tractaremus amore.
Vtraq; quo tacuit tempore fida procos.
Hæc ego ſi prima potui reticere iuuenta,
Qui magis in ſenio, prouida facta, queam?

Geut.

Omnis paupertas à me ſublata receſsit,
Exiguo mulier tempore diues ero.

Gel.

Audio pergratis animis quæ uerba recenſes,
Hoc mihi qua fiat dic ratione precor.

Geut.

Dico, ſed totum debes celare per annum,

Aut animus lætus, nil niſi luctus erit.
Noſtri prætoris nupſit mea filia gnato,
Qui mihi Mœcenas, ſi uelit, eſſe poteſt.
Et quo coniugij uideantur uincula firma,
Vno ceperunt ambo cubare thoro.
Tam bene cui fauſtis ſuccedant ſingula uotis,
In tacito nunquid gaudeat illa ſinu?

Gel.

Vt dij fortunent iuſti tua cepta precabor,
Tuq; mei diues fac memor eſſe uelis.

Geut.

Tu me conſilio ſemper, gnatamq; iuuabis,
Auxilij fuerit cum mihi forſan opus.

Gel.

Si modo quid potero, me promptam ſemper habebis.
Iam cogor rurſus limen adire meum.

Geut.

Nec mihi ſiſtendi data copia longior hic eſt,
Ibo domum, gallus nunq; coquendus erit.
Prandia cum gnata peragam lautiſſima chara,
Temporis hoc ratio, poſtulat huius enim.

ACTVS III. SCENA III.

Gel. Gotz.

Gel.

Admi-

SCENA III.

ADmiranda mihi noua ſunt narrata profectò,
Qualia uix credo ſomnia uana monent.
Nec miranda modo ſed uix credenda uidentur,
Hic rumor populo non ſolet eſſe frequens.

Gotz.

Eheu quàm nimia compreſſum eſt mole cerebrum,
Quàm mihi debilitas membra Lyæe pater,
Ex aliqua poßim mihi parte leuare dolores,
Eſcam de chara matre rogabo mea.
Quin ipſam uideo, ſalue chariſſima mater,
Quid uult perſpicuus riſus habere tuus?

Gel.

Heſternos cyathos, & pocula plurima Bacchi,
Quod mores monſtrent, rideo, & ora tua.

Gotz.

Non erras, ſed cur pergis ridere? grauatum
Eſſe non noſcis forte dolore caput.

Gel.

Rumor inauditus noſtras peruenit ad aures,
Qui noſtri riſus primula cauſa fuit.

Gotz.

Dic igitur quid ſit? Gel. non eſt ſat dicere tutum.

Gotz.

Quare? Gel. Sunt fidei credita uerba mea.

Gotz.

Gotz.

Id tutò poteris charo committere gnato,

Gel. *Si tecum tacita mente tenere uelis.*

Gotz.

Quo! facilis mecum poßim reticere tacenda,

Exigui perquam cura laboris erit.

Gel.

Prætoris gnatus, gnatam cuſtodis agenam,

In ſocij duxit mutua iura thori.

Gotz.

O deus, ô cœlum, recitas ne ſeria uerba?

An me iam ſolito ludere more ſtudes?

Gel.

Ipſamet ex ſponſæ cognoui ſingula matre,

Principium & finem, ſeria uerba loquor.

Gotz.

Ducemus manibus formoſas ergo puellas,

Concelebraturi numina ſancta Bromi

Gel.

Sponſus ut hæc patrem cæletur fama per annum.

Hac tribuit nuptiæ conditione fidem.

Gotz.

Vix poterit fieri. Gel. *dubio ſine profluet illud.*

Tu modo, ne pateat te recitante caue.

Gotz.

Gotz.

Iam quæram ſocios, uino recreabor aduſto,
Si dabitur, præſens id medicamen erit.

Gel.

Fac pranſum redeas. Gotz ſi non præſentia gratã
Lurconum prohibet ſedulo promptus ero.

ACTVS III. SCENA IIII.

Gotz. Seitz. Heintz.

Gotz:

QVam noua uel cunctis referuntur multa dieb.
Hæc quis coniugij uincula uera putet?
O utinam ſocios dulces, comitesq́; uiderem,
Quos uolo participes iſtius eſſe rei.
Hi quoq; linguarum ſtrepitus compeſcere poſſunt,
Illorũ pars eſt quiſq; tacendo mihi.
En hic præ reliquis uenit exoptatus amicus,
Quo mihi uix ullus gratior eſſe queat.
Quid ſibi uult greſſus titubans, pede quodq́; uacillat?
Vnde illi ebrietas larga ita mane uenit?
Accedam: ſalue, languent tua membra ne morbo,
An nimio Bacchi munere feſſus ades?

Seitz.

Triſtitia pulſa lætanti prodeo mente,
Sed negat officium, pesq́; manusq́; ſuum.

Gotz. Læti-

Lætitiæ uideo quàmplurima ſigna nouellæ,
Vnde tibi ueniant ebria uerba? rogo.

Seytz.

Ex nimio uino, quod me iubet eſſe quietum,
Nec me uult tecum plurima uerba loqui.

Gotz.

Huc ades, & uinum quo poſſes ſumere plura
Edormi, ingenium nanq; ego noſco tuum.
Mox ubi reddiderit uires tibi ſomnus alacres,
Hunc necem linques me monitore thorum.

Seitz.

En iaceo: mecum dormi dilecte ſodalis,
Oppreſſum magna ſentio mole caput.

Gotz.

Quàm cito concluſit defeſſo lumina ſomnus,
Defuncto ſimilis beſtia plena iacet.
Ebrietas recta ſi uoluere mente uolemus,
Fons eſt triſtitiæ ſummaq́; origo mali.
Quem non inſanum? quem non facit illa furentem?
Dotes ingenij, cui ſinit illa ſuas?
Hinc uarij morbi ueniunt, cædesq́; cruentæ,
Pernicies animæ, corporeiq; boni.
Quis neget hunc hominē ſimilem procumbere porco,
Vel ſi quæ uiuit beſtia fœda magis.

Concoctos illi iam ſomno ſuſpicor hauſtus,
Surge cito, & uetitos ebrie linque thoros.
Seitz.
En ubi ſum? Gotz. uicus tibi publicus eſt modo lectus.
Seitz. Huc quis me, aut qualis uectus, et aura tulit?
Ni fallor, iaceo proſtratus fulmine Bacchi,
Cuius percuſſus cuſpide, ſæpe cado.
Gotz.
Sic eſt, ſed melior tibi ſermo quàm ante fluebat,
Surge precor, dicam facta nouella cito.
Hæc inquam, tacite ſi uis committere menti,
Tunc potes ex uerbis certior eſſe meis.
Seitz.
Promitto quantum potis eſt, me uelle tacere,
Dic, nec me dubium longius eſſe ſine.
Gotz.
Eſt data connubio cuſtodis filia, gnato
Pretoris noſtri: ſunt ne ea mira noua?
Seitz.
Filia cuſtodis? Gotz. ſic eſt. Seitz. nec falſa recenſes?
Gotz. Verior hoc unquam uix mihi ſermo fuit.
Seitz.
O ſocij, lætas nunc nunc attendite mentes,
Turbaq; Io Pæan, luxurioſa cane.

Lætitiæ uideo quàmplurima ſigna nouellæ,
Vnde tibi ueniant ebria uerba? rogo.

Seytz.

Ex nimio uino, quod me iubet eſſe quietum,
Nec me uult tecum plurima uerba loqui.

Gotz.

Huc ades, & uinum quo poſſes ſumere plura
Edormi, ingenium nanq; ego noſco tuum.
Mox ubi reddiderit uires tibi ſomnus alacres,
Hunc necem linques me monitore thorum.

Seitz.

En iaceo: mecum dormi dilecte ſodalis,
Oppreſſum magna ſentio mole caput.

Gotz.

Quàm cito concluſit defeſſo lumina ſomnus,
Defuncto ſimilis beſtia plena iacet.
Ebrietas recta ſi uoluere mente uolemus,
Fons eſt triſtitiæ ſummaq; origo mali.
Quem non inſanum? quem non facit illa furentem?
Dotes ingenij, cui ſinit illa ſuas?
Hinc uarij morbi ueniunt, cædesq; cruentæ,
Pernicies animæ, corporeiq; boni.
Quis neget hunc hominē ſimilem procumbere porco,
Vel ſi quæ uiuit beſtia fœda magis.

Concoctos illi iam ſomno ſuſpicor hauſtus,
Surge cito, & uetitos ebrie linque thoros.

Seitz.

En ubi ſum? Gotz. uicus tibi publicus eſt modo lectus.
Seitz. Huc quis me, aut qualis uetus, et aura tulit?
Ni fallor, iaceo proſtratus fulmine Bacchi,
Cuius percuſſus cuſpide, ſæpe cado.

Gotz.

Sic eſt, ſed melior tibi ſermo quàm ante fluebat,
Surge precor, dicam facta nouella cito.
Hæc inquam, tacite ſi uis committere menti,
Tunc potes ex uerbis certior eſſe meis.

Seitz.

Promitto quantum potis eſt, me uelle tacere,
Dic, nec me dubium longius eſſe ſine.

Gotz.

Eſt data connubio cuſtodis filia, gnato
Pretoris noſtri: ſunt ne ea mira noua?

Seitz.

Filia cuſtodis? Gotz. ſic eſt. Seitz. nec falſa recenſes?
Gotz. Verior hoc unquam uix mihi ſermo fuit.

Seitz.

O ſocij, lætas nunc nunc attendite mentes,
Turbaq; Io Pæan, luxurioſa cane.

Gotz.

Ne per nos pateat cunctis, ea fama tacenda,
Clamoſam uocem, fac moderêre tuam.

Seitz.

Gaudia num reliquas deberent tanta latere?
Hæc bene conueniunt tempora lætitiæ.
Huc quem delectat nouitas gratiſsima rerum:
Aduolet, hinc uarios hauriet ille iocos.
Prætoris gnato cuſtodis filia nupſit,
Virgo palmipedes quæ modo paſcit aues.

Gotz.

Non ideo dixi, quod clara uoce referres,
Omnibus hic rumor iam manifeſtus erit.

Seytz.

Publica coniugij reticeri fœdera poſſe,
Inſipiens ulla num ratione putas?
Tu ſi conſilium non aſpernare ſalubre,
Quo grates magnas poſcis inire dabo.
Præſentes ambo prætorem conueniemus,
Gratantes illi filioloq́; ſuo.

Gotz.

Approbo conſiliū. Sei. properemus. Go. ſi bene cerno
Ante ſuas triſtis conſidet ille fores.

Gotz.

Sit

Sit lux fauſta tibi. Scitz. ſalue iuſtiſſime prætor.

Heintz. *Quid cupitis? qui uos caſus adeſſe iubet?*

Gotz.

Venimus optatum uobis pro more ſalutem.
Coniugium dextro ſydere nempe cadat.
Nam gnatum factum nobis certiſſima fama,
Cuſtodis generum rettulit eſſe tuum.
Et primas grates, primi quia dicimus illud
Nobis ambobus poſcimus inde dari.

Heintz.

Hæccine de noſtro fama eſt certiſſima gnato?

Scitz. *Sic eſt* Hein. *ſed uobis unde referte pater?*

Scitz.

Totus in hoc pago populus teſtatur idipſum,
Nam cunctis hodie ſemper in ore fuit.

Heintz.

Dicite ſi conſtat, quonam ſit tempore factum,
Hæc ego non fidei conſona uerba puto.

Scitz.

Illud ut accepi, eſt heſterna luce peractum:
Sic hodie rettulit publica fama mihi.

Gotz.

Ambo præterea (ſi plurima ſigna requiris?)
Vnum præterita nocte habuere thorum.

Heintz.

Illum Dij ſuperi perdant, ſtygijq́; miniſtri.
O deus hunc gnatum fulmine ſterne tuo.
Hinc eo res hæc eſt uxori ſignificanda,
Illum quæ ſemper credidit eſſe deum.

Gotz.

Eſt alio nobis abeundum conſulo certè,
Nam mœſtas rixas ſuſcitat ira grauis.

Seitz.

Id puto conſultum, ne iam pro munere detur
Solliatus carcer, ſiue catena grauis.

ACTVS IIII. SCENA I.

Heintz. Elſa. Contz.

Heintz.

QVo nunc inſignis nebulo peruenit eundo,
Non poſthac gnati nomine dignus erit.
Hic inopem duxit uel me nolente puellam,
Qua non pauperior uiuere uirgo poteſt.
Si mihi ſe rurſus præberet fortè uidendum,
Quàm uultus illi dilacerare uelim.
Vxor ſeruando ne ſis mihi quæſo moleſta,
Dignum ſupplicio, nemo negabit eum.

Elſa.

Non adeo ſæui, uultus ſubmitte ſeueros,

Te

Te decet euentum uoluere mente rei.
Nam toti populo ſemper remanebis in ore,
Publica ſi uobis lis ineunda foret.

Heintz.

Quid mea, nemo poteſt indignum dicere factum,
Si pœnam gnatus patre iubente luit.

Elſa.

Non nego: ſed patrio puniri debet amore,
Haud rabido ſicut uulnere tute putas.
Cumq́; domum ueniet, uerbis iurgato ſeueris,
Sentiet & matris iurgia dira ſuæ.

Heintz.

Nimirum lachrymas fundes ſine fine cadentes,
Hæc ſunt in gnatum quæ maledicta iaces.

Elſa.

Non fiet, triſtem modo lætans exure mentem,
De gnato forſan rumor iniquus erit.

Heintz.

Qui fit fœmineæ quòd mitia uerba cateruæ,
Dura maritorum flectere corda queant.
Hunc eo quæſitum: Elſa, te comitabor euntem,
Sed non cum gnato conſere quæſo manus.
En uenit, ò certè me terq́; quaterq́; miſellam,
Tractetur uereor ne nimis ille male.

Heintz.

Cur age circundas manibus mea brachia ſtrictis,
Quid retines? nebulo cernitur ille tibi?

Elſa.

Non equidem: ſed quo fiat tibi mitior ira
Circundo manibus brachia ueſtra meis.
Inſpice chare tui uicini tecta marite,
Quæ noua iam ſurgunt, uix diuturna puto.

Contz.

Poſtquam blanda mihi, dedit oſcula Phyllis amata,
Compellor rurſus patris adire domum.
En matrem uideo reprimentem brachia patri
De corio certè luditur inde meo.

Elſa.

Quid tu queſo putas? Contz. minitantur tecta ruinã.
El. Sic puto, ſed gnato mitia uerba refer.

Heintz.

En iterum dico mihi bracchia libera mitte,
Vt ſatis ex omni parte uidere queam.
Hiccine ſtas, noſtras animaduerſura loquelas.
Hic moriens pœnas perfid.e ſcurra dabis.

Elſa.

Exue non enſem, mores depone latronum,
Perpendas animo te illius eſſe patrem.

Hein.

Heintz.

Haud interficiam penitus ſed terga notabo
Illius. Elſa. ah minime prouidus eſſe uelis.

Heintz.

Huc ades, ut corui carpent tua membra uoraces.
Atq; auide auſculta quæ tibi uerba loquar.

Elſa.

Mi uir ne uincat te præceps ira caueto,
Fili chare ueni, uerba patriſq; cape.

Contz.

Præ nimio poſſum uix promere uerba timore,
Tam meruit motus quæ mea culpa graues?

Heintz.

An neſcis nebulo? manibus mox experiere,
Si non peccatum confitearc tuum.
Quando de uidua (nequam) reſponſa dediſti?
Quod te facturum es pollicitatus heri.
Hæccine conſilia, aut iſthæc tua cepta fuerunt?
Cum ſocijs dixti quæ capienda tibi?
Mendicam uidua duxiſti diuite ſpreta,
Ignoret quamuis illud uterq; parens.

Contz.

Neſcio quid dicas. Heintz. an me ſeducere tentas
His dictis? Contz. minime, crimina non merui.

Heintz.

Legitimi gnate cuſtodis fœdera lecti
Cur promiſiſti, me renuente patre.

Contz.

Non ego promiſi. Heintz. *mendacia uana ſubornas?*
Cum populus totus teſtificetur idem.
Ergo uera refer. Contz. *feci, pater optime parce:*
Nanq; dedi certa conditione fidem.
Si taceat menſes bis ſenos: ſin minus autem,
Verba ſuis fruſtra uiribus orba tenet.
Ah ſi chare pater, quid noſtra precamina poſcunt,
Te rogo coniugio detur ut illa mihi.

Heintz.

Mox diſcede, caput ſi non tibi uulnere lædi
Expetis, an lentos ſubtrahis inde pedes?
Te ne ſinam miſeram præ diuite ducere ſponſam,
Quæ nullas pauper prorſus haberet opes.

Elſa.

Hinc abeas aliò fili dulciſſime quæſo,
Donec flammigerans deſinat ira patris.

Contz.

Quo redeā miſer hinc. Hei. *ad tartara nēpe profunda*
Elſa. *Gratius ah profer chare marite melos.*

Heintz.

Tu quoq; ſi pergas, iſtum defendere nequam,
Lis tecum uehemens ſurget agenda mihi.

Elſa.

I cito, nam potius quàm uellem reddere patrem
Commotum, dudum te perijſſe uelim.

Heintz.

Id uolui, timide iam iam magis ille loquetur,
Iratam cum te ſenſerit eſſe ſibi.

Contz.

Ah pater ignoſcas. Heintz. aliò mox dirige greſſum.
Elſa. Audiuit matris iurgia ſæua ſuæ.

Heintz.

Hinc abijt, noſtras ambo redeamus in ædes,
Res hæc conſilium nanq; ſalubre petit.

ACTVS IIII. SCENA II.

Contz.

O Fortuna potens, quàm conſtans raro uideris,
Cur non perpetuo proſpera diua manes?
Quam cito lætitiam luctus comitatur amari,
Quàm cito diuitiæ te renuente cadunt.
Cur in me ſubito torques hoſtilia tela?
Quo tantum merui crimine ſupplicium?
Antea quem chari me dilexere parentes,
Iuſſerunt profugum linquere tecta ſua.

Quodq; puto ſummum, periurus ſcurra uidebor.
Promiſſam cogar cum renegare fidem.
O quicunq; potes meliori uertere uoto,
Summe mihi præſens auxiliare deus.
Ad te quo poßim uoces recitare precantes,
In quem ſecretum mox properabo locum.

ACTVS IIII. SCENA III.

Ditz. Contz.

Ditz.

SVbtriſtem uidi iuuenem, uultuq; ſeuerum,
Sed mihi triſtitiæ, non ea cauſa patet.
En redit, hinc cauſam potero reſcire latentem,
Quæ mentem uexat ſollicitudo tuam?

Contz.

Me miſerum, nullos quod noſco prorſus amicos,
Qui poſſent ſumptum ſuppeditare mihi.
Sed merito patior, patior quæcunq; pericula
Qui chari ſpreui iuſſa ſubire patris.

Ditz.

Quærenti iuuenis cur reſpondere recuſas?
Curarum forſan mite leuamen ero.

Contz.

Tantos omnipotens fortuna auerte labores,
Et da uota mihi proſperiora precor.

Ditz.

Præ nimio cordis nequit hic audire dolorē.
Accedam propius, ſortè uidebor ei.

Contz.

Exoptabilior mihi mors quàm uita uidetur,
Mors ſit terribilis, uita petenda licet.

Ditz.

Dic quid te maceret. Contz. *uenis exoptatus amicus,*
Te decet ærumnas ſcire profectò meas.

Ditz. *(parentes*

Dic breuibus. Co. *uiduam.* Dit. *lachrymas omitte.* Co.
Coniugio dandam conſtituere mihi.

Ditz.

Dic quid præterea? Contz. *renui, duxiq́; puellam*
Filia cuſtodis ſcilicet illa fuit.
In me commotos quæ fecit cauſa parentes,
Spes ſic ut auxilij nulla relicta boni.

Ditz.

Rebus in aduerſis, quod cognoſcantur amici,
Ex uulgi dictis cuiq; poteſt.
Id præſtaturus patroni more patere fidelis,
Communis nobis (imodo) uictus erit.

Contz.

Ingentes habeo grates prò munere tali,

Officij

Officij nunquàm non memor huius ero.

Ditz.

I mecum, mediator ero, res forſitan illa
Succedet melius quàm male ſanè putas.

Contz.

Id faxint ſuperi, quibus illa potentia conſtat,
Ad tua iam tecum limina iuſſus eo.

ACTVS IIII. SCENA IIII.

Geut. Metz.

O Lux infœlix, atro carbone notanda,
Prima dies luctus triſtitieq; nouæ.
En ego dum petij primum mea tecta miſella,
Me tenui riſu publica turba notat.
Nimirum toti populo quod fertur in ore
Filia, nocturno falſaq; capta dolo.
Me paupertatem iam deſeruiſſe putabam,
Sed quantum uideo, creſcere cœptat ea.
Quid mea me tandem tumefacta ſuperbia iuuit?
Cum degam incerta ſpe ſpoliata modo.
Viuere non cupio, ſed malo morte perire,
Si pateſit gnatæ ſordida culpa meæ.

Metz.

Omnia curaui, mihi nullus deficit anſer,
Hinc repeto rurſus limina matris ego.

Spe

Spero coniugium noſtrum ſine fraude futurum.
Conficiet certè mutuus illud amor.
Quam laudare uelim tua numina Iuppiter alme,
Vltimus hic anni ſi queat eſſe dies.
Sed matrem uideo lachrymantem: cogor adire:
Quæ cauſa eſt fletus triſtitiæq́; tuæ?

Geut.

Mene gnata uocas? Metz. non noſcis uerba uocantis?
Quæ cruciat pectus, noxia cura tuum?

Geut.

Væ nobis miſeris, quàm nos mala damna ſequentur,
Ludibrium cunctis & mala fama ſumus.
Ah paupertatem taceo ſine fine ferendam,
De nobis dici turpia uerba dolet.

Metz.

Quare? Geut. fama uolat cunctis manifeſta colonis,
De ſponſo noſtro, concubituq́; tuo,
Sed ſi me credis mendacia uana locutam,
Illa fidem dictis addere geſta queunt.
Aedibus ex patrijs hodie fugitiuus abiuit,
Hos propter uetitos illicitosq́; thoros.

Metz.

Id ſuperi uertant, ſic non ſuccedere debet,
Noſter concubitus legitimúſne fuit?

Geut.

Geut.

Si ſaltem uerbis illi tua uota dediſſes,
Et ſinæ concubitu tuta ſat ipſa fores.
Nullum conſilium, ſpes non eſt ulla relicta.
Cum magno damno iuncta querela uenit.
Nam ſine conſenſu ſocialia iura, parentum
Hos fines atq; hoc commoditatis habent.

Metz.

Quam tu nunc credis mater chariſsima, noſtris
Spirabit uelis aura ſecunda magis.
Non illum certo niſi demptum iure relinquam,
Atq; aliud noui, hunc ſi mihi iura negant.
Vt uitam miſeram nos ſuſtentare queamus,
Pro uitio eſt magnas ille daturus opes.

Geut.

Quis noſtras uellet cauſas ab ſtulta fouere
Cum deſint ſumptus? iura ſecunda tibi.
Viuere patronus, miſerarum deſijt Iuo,
Nullus opem nummo deficiente feret.

Metz.

Me fateor peccaſſe, tuæ ſum ſubdita pœnæ.
Efficiam ſemper quod tibi cunq; placet.
Ne me pelle domo, non filia, ſerua manebo,
Et da conſilium quæſo ſalubre mihi.

Geut.

Conſulo quod maneat cuſtos, quæ ſpreta fuiſti,
Conſilia his certè non meliora ſcio.
Hos muta mores, & numina ſancta precare,
Quod peccata uelint non reputare tibi.
Si quando rurſus fuerit fortuna ſecunda,
Ilico ne tumeas facta ſuperba caue.

Metz.

Sic faciam, ne quis de me non digna queratur,
Præſtabo poſthac facta uolente deo.

Geut.

Ergo ueni, puraq; deum cum mente precare,
Nam precibus ſurdus non erit ipſe tuis.

Metz.

Nil dubito Chriſtum mea damna auertere poſſe.
Qui certam eſt nobis pollicitatus opem.

ACTVS V. SCENA I.

Ditz. Contz. Heintz.

Ditz.

SI tibi conſultum, ſi non reputatur iniqnum,
Ipſemet hinc patris limen adibo tui.
Non tibi quod nolim uictum præbere deinde,
Sed mihi componi lis ea poſſet agam.

Contz.

Ingentes habeo grates, ſi quando mereri
Id potero, nunquam deſidioſus ero.

Ditz.

Impia res certè tam tempora longa parentes
Prælia cum gnatis deſidioſa ſequi.
Ex nimio uino languent omnia membra,
Vix perfecturum me reor illud iter.
Aſt ego quem cupij, nunc conſpicor ire uolentem
Ad me, ſic poterit mitior eſſe uia.

Heintz.

Hic hominem uideo, qui uictu, ueſte, domoq́;
Filiolo noſtro prouida cura fuit.
Interceſſor erit, ueniam gnatoq́; rogabit.
O utinam coniunx audiet illa mea.
Ex inſperato quæ nos bona numina iungunt?
Quóue tuos tendis dulcis amice pedes?

Ditz.

Exſpatiaturus uenio, per pulchra ſalicta,
Quæ loca ſunt uotis fertiliora meis.
Subtriſti quare, ſed neſcio, mente uideris:
Dic, tua quæ mordax pectora cura uorat.

Heintz.

Cauſa mei luctus in ueſtris ædibus extat,
Si neſcit, profugus filius illud agit,

Ditz.

Hunc quod ſuſcepi iuſta eſt de mente profectum,
Officium gratum, ni quoq; fallor, erit.
Vos cum diſcordes patrem gnatumq́; uiderem,
Aetati uolui conſuluiſſe tuæ.
Scilicet iratus ne quæ impia bella moueres,
Quæ tibi cum gnato ſint nocitura tuo.
Suſcipias rurſum, uenio nempe illum rogatum,
Agnoſcit crimen ſupplice uoce ſuum.

Heintz.

Me patrem, & cunctos qui dedecorauit amicos,
Vllis an recipi debeat ille modis?
Illi diues opum, claro ſata ſtemmate coniunx,
Iamdudum poterat me duce ſponſa dari.
Hanc inquam ſpreuit, miſeram duxitq́; puellam,
Qua non inferior uiuere uirgo poteſt.

Ditz.

Non ſat iuſta tuum pectus mouet ira cruentum,
Cui non uirgo decens gratior eſſet anu?
Quos coniunxerunt ſupremi fata tonantis,
Hos non ſeiungent fluxa ſtatuta uirûm.
Illi da uiridem, putrem uiduamq́; relinque,
Nam ratio fieri temporis iſta iubet.
Hoc nil te moueat quod non dotata uidetur,

Idem eſt pauperibus, diuitibusq́; deus.
Eſt morata ſatis, caſto præclara pudore,
Hæc opibus largis anteferenda puta.

Heintz.

In ſumma renuo, uiduam ſi ducere nolit,
Haud erit ulla mihi quàm tua gnata nurus.

Ditz.

Da ueniam gnato: bona dic reſponſa neganti,
Vt fauſto uidear te perijſſe pede.

Heintz. *Commoueor, ſi plura mihi iam dicere pergis,*
I, me auditurum plurima uerba nego.

Ditz. *Ergo ſi prorſus nil noſtro precamina poſſunt,*
Quæ tulit huc rurſus me feret inde uia.

ACTVS V. SCENA II.

Ditz. Contz. Elſa. Heintz.

Ditz.

QVæ mihi de gnata præfectus uerba canebat,
Illa ſedent animo fixa profectò meo.
Et ſi conficio, noſtræ (quod ſpero futurum)
Fœdus amicitiæ firmius eſſe ſcio.
Excludam partes alias, noſtrasq́; fouebo
Quem cupio ex animo ſit gener ille mihi.

Contz. *Debebam lætus contractam ſoluere frontem,*
Sed mordax animi non mea cura ſinit.

Num

Num redeat uiſum mediator prodeo litis,
En redit, ô utinam nuncia grata ferat.
Ditz. Nunquid ades? mecum dum rē perpendere cepi,
Non fueras præſens uiſus adeſſe mihi.

Contz.

Quæ noua reſpondes? an lis ſublata receßit?
Sponſa nunquid chara puella datur?
Ditz. Nil iam confeci. Contz. triſtis diſcedo miſerq́;
Ditz. Quin remane, ſaluus ſi uelis, eſſe potes.

Contz.

Quomodo dic? Ditz. ambas, uiduāq́; relinque puellā,
Coniugio dabitur filia noſtra tibi.
Id medium chari iam propoſuere parentes.
Quæ uitæ cupiunt conſuluiſſe tuæ.
Hos igitur rurſus ſi conciliare laboras,
Quæ placeat patri, ſponſa ſit illa tibi.
Contz. Ah tantum liceat dubias auertere mentes,
Reſponſum debes ilico habere meum.

Ditz.

Nil moror. Co. En iterum cura macerabor acerba,
Sum nunc incertus quàm magis ante fui.
Cauſa duplex primam me cogit habere puellam,
Noſter amor feruens, & data ſancta fides.
Quo poßim ſæuas iras uitare paternas.

Dicam propoſitum uelle me inire patris.
Nam tamen id iunctis manibus, candente fideq;
Promittam, falſo ſed ſimulabo dolo.
Ante reus celſum ſtabo fortaſſe tribunal,
Cum ſibi me ſponſum prima tenere uolet.
Illa uolente deo, uictrix euadere debet,
Nam primis cedunt uota ſecunda datis.

Ditz.

Senſibus hæc imis (quia magna negotia) tractas,
An nondum tecum conſtituiſſe potes?

Contz.

Dum mecum uirides perpendo uirginis annos,
Fortunæ dotes, ingenijq; bona.
Omnia miratus, tacui, nunc ergo reuerſus,
Quæ mihi dixiſti, nuncio firma fore.
Hac prius excepta ſed conditione, parenti
Vt me dilecto reſtituiſſe uelis.

Ditz.

Ergo ueni mecum: ſtat hic cum coniuge chara,
A patre ne ſtatim conſpiccare, caue.

Heintz.

Prætorem coniunx, de quo mihi ſermo fluebat,
Lætanti nunquid mente redire uides?

Ditz.

En redeo, tentans queo mihi componere litem.

Elſ. Salue. Di. ſalue etiam. H. nũcia grata refers?

Ditz.

Expoſui gnato te non concedere uelle,
Cuſtodem miſeram quod petat ille ſibi.
Nec quod eum cogas, uiduam ductare relictam,
Expreßi firmo, conſimiliq́; modo.
Hinc aliud medium, quod te eſt autore profectum,
Ingenij ſumma dexteritate probat.
Hoc pacto, patrem ſi rurſus habebit amicum,
Promittet gnatæ uincula ſancta meæ.

Heintz.

Iam reſpõnſa dabo: quid tu charißima coniunx
Sentis? conſilium quæſo ſalubre refer.

Elſa.

Conſule tu potius (tibi me parere neceſſe eſt)
Me ſuperas annis, conſilioq́; graui.

Heintz.

Eſto coniugium. Elſa. diuinas effuge pœnas,
Cuſtodi primam, nam dedit ille fidem.
Signaq́; adhuc extant, ſi plurima ſigna requiris,
Nempe puer natus, uirgoq́; facta parens.

Heintz.

Nil agis: huc uicine ueni, tua filia gnato

Noſtro, coniugio ſponſa futura datur.

Ditz.

Annuo. Hein. *cras ſummo tecum ambos ducite mane.*
Eſt conſtans thalami conſtituenda dies.

Ditz.

Gratior ut ueniam, gnato peccata remitte,
Sæpe etiam uehemens ira nocere ſolet.

Heintz.

Omnia condono. Elſa. *recte facis ô ut adeſſet,*
Nemo hoc his oculis gratior eſſe poteſt.

Ditz.

Huc ades, hic pax eſt. Co. *ueniā pater optime quæſo.*
Heintz. *Eſto, cumq; nouo cras patre mane redi.*

Elſa.

O qualis cordi materno cura fuiſti,
Quomodo mi fili, ſat bene nónne uales?
Contz. *Corpore ſat belle, ſi belle mente ualerem,*
Illa ſalus melior tempore forſan erit.

Heintz.

Quid ſtas? cum ſocero conſuetum limen adito,
Atq; ad præſcriptum rurſus adeſto diem.

Contz.

Interea multum chari ſalucte parentes,
Iſthæc pacta puto uix diuturna fore.

ACTVS V. SCENA III.

Geut. Metz.

AMbæ fœlici quàm non ſurreximus hora,
Spes nulla auxilij, nulla ſalutis erit.
Quæ tu uirgineos amiſti nuper honores,
Ridendi populo cauſa reperta noua.

Metz.

Cur iterum lachrumas mater dilecta profundis?
Quæ te ſollicitam cura nouellæ facit?

Geut.

Profero materni cordis triſtata dolores,
Quos patior quoties lumina cerno tua,
Nanq; tuo ſponſo, quod publica fama ſuſurrat,
Finitimi pagi filia danda uenit.

Metz.

Quidquid fata uolunt fieri, ſum prompta ferendi,
Imperio quorum ſubdita cuncta iacent.
Si illi iuſtitiæ, ſi recti cura ſuperſit,
Non aliam quàm me ducere iure poteſt.
Spes eſt larga mihi, ſpes me hæc fortaſſe iuuabit,
Eius uirtutes, ingeniumq; ſcio.

Geut.

Eſt tibi cum curtis eadem ſpes iuncta iudæis,
Meßiam ſperant falſo uenire ſuum.

Cum patrias rurſum ueniet peregrinus in ædes,
Non ſat erit tutum dicere, ſi quid habet.

Metz.

Reſtat adhuc unum mater dulciſsima nobis
Conſilium: quod non quæſo negare uelis.
Illi cum puero me iam præbebo uidendam,
Si diuina timet numina, mitis erit.

Geut.

Approbo: ſi multum non utilitatis habebit
Hic labor, ex nulla parte nocere poteſt.
Me tibi coniungo comitem, pergamus eundo,
Hinc finis certa eſt conſtituenda rei.

ACTVS V. SCENA IIII.

Ditz. Nes. Contz. Metz. Geut. Heintz. Elſa.

Ditz:

EXimia iuuenem forma, uultuq́; decenti,
En mea gnata uide, quomodo quæſo placet?
Nónne tuo dignum cenſes hunc eſſe cubili?
Si uis ille tibi poſtmodo ſponſus erit.

Neſ.

Iamdudum placuit, placet ſemperq́; placebit,
Si modo me ſponſam uellet habere ſibi.

Ditz.

SCENA IIII.

Ditz.

Hanc audis uocem? Contz. Cuſtos mihi gratior eſſet:
Huic iræ ſignum naſus acutus adeſt.

Ditz.

Quid mihi reſpondes? Contz. quòd ſit res ardua dico
Legitimi thalami iura ſubire mihi.

Neß.

Non tibi difficilis, tibi non moroſa tonabo,
Interdum uerbis id niſi fiat idem.

Contz.

Nec cupio ſane. Neß. uanas modo deſpice curas,
Officioſa tibi, ſemper eroq; tuis.

Contz.

Hoc quoq; non laudo, nam ſi mihi ſponſa locaris,
Officium certe denego tale meis.

Ditz.

Verborum non eſt opus hic certamine longo,
Mecum ite, eſt finis conſtituenda rei.

Neß.

Cedo manum, dextras age coniungemus euntes,
Lætius hoc nobis ut uideatur iter.

Metz.

Geut.

Vt uideas finem, non quidquam dixeris illi,
Sed patiens dempto fine precare deum.

Neß.

Quid facis? hos certe nequeo tolerare labores,
Cur tangis puerum? num puer ille tuus?

Contz.

Cur nequis? ad te non res attinet iſta: proinde
Hanc percontari deſine ſtulta precor.

Neß.

Non facio: eſt iſthæc proles te nata parente?
Diſperean Phyllis ni fuit illa tua.

Contz.

Deſine, pergamus. Nes. nuſquam pede dirigo greſſum
Quin poßim illius certior eſſe rei.

Contz.

Quandoquidem finis non eſt tibi dico petendi,
Horreat hos quamuis uirgo pudica ſonos.
Filius hic meus eſt, ea deſponſata puella,
Propter quam pulſus linquere tecta patris.
Illa hoc ſi totum tacuiſſet ſtulta per annum,
Hæc mihi non tecum res peragenda foret.
Sed quia non potuit, patefecit crimina uerbis,
Hac dicor prorſus lege ſolutus ego.

Neß.

SCENA IIII.

Neſ.

Lingua loquax magnum uitiũ eſt, non garrula ſtulta,
Aeui temporibus conuenit huius enim.
Hoc uel teſte deo poſſum iurare profecto,
Me non prædicti criminis eſſe ream.
Septenos famulus mecum condormijt annos,
Et mihi non eius mentio facta rei.

Contz.

Hem quid ais? Neſ. *quo ne me credas eſſe loquacem,*
Commiſi fidei talia uerba tuæ.

Contz.

Id male di uertant, abeas. Neſ. *quod ſeria noſtra*
Explicui, cur me cedere ſtulte iubes?

Contz.

Aduentus prohibet me reſpondere parentum,
Res tamen hæc magis eſt euoluenda mihi,

Heintz.

Affines multum chari ſaluete, futuri
Chara narus ſalue, perdite nate ſimul.

Ditz.

Hos ut connubio ſacro iungemus amantes,

Contz.

Non me contingas manibus prænobile ſcortum.

Neß. *Nec lateri nebulo perfide iunge latus.*

Heintz.

Cur diſcordatis? nec amantibus utilis ira.

Ditz. *Filia, quas uoces funditis ambo refer.*

Neß.

Ex qua ſuſcepit puerum iam arriſit amicæ,
Quod poſſum nullis inuida ferre modis.
Hanc amat ut uideo, me forſan deſeret ille
Cum feſſus fuerit factus amore meo.
Hos igitur mores ſi non mutabit iniquos,
Legitimi renuo fœdera ſancta thori.

Contz.

Te nunquam petij, dum uiuo te nec habebo,
Dic pater an liceat paucula uerba loqui?

Ditz.

Filia quid ceptas? Neß. *illum compeſcere conor,*
Sic qualem cupio deinde maritus erit.

Heintz.

Dic quodcunq; placet, mihi non lis iſta probatur
In primis petulans, poſtmodo qualis erit.

Contz.

Non illam ducam: ſeptenos faſſa per annos

Se dixit famulo concubuiſſe patris.

Neſ.

Quid loqueris? quo tuta fides? an dicere fas eſt,
Conſtanti fidei credita uerba tuæ.

Contz.

Sit fas ſiue nefas, quod dicere dico neceſſe eſt,
Confeſſa es crimen ſponte coacta tuum.

Neſ.

Id nego Co. *confirmo.* Ne. *mea firma negatio tantum*
Quam confirmo tuum robur habere poteſt.

Ditz.

Expectate parum: quas profers filia uoces?
Iſtius es culpæ, conſcia nónne tibi?

Neſ.

STRAMINIBVS *teneris ſi feruens additur ignis,*
Haud dubie ſequitur flamma choruſca cito.

Ditz.

Filia miratur te non diſcernere poſſe,
Verba ea quæ loquitur ſerio ſine ioco.

Contz.

Hanc ego non ducam, noua detur nupta miniſtro.
Hein. *Duc igitur uiduã.* Co. *nolo profecto pater.*

Neſ.

Patris, & ad diram tu modo perge crucem.

Contz.

Hanc tu curre uiam, qua non indigna uideris,
Te decet infamis peßima lena locus.

Ditz.

Non hac coniugium poterit ratione ligari,
Mutua diſcordes, dum maledicta iacent.
Filia de famulo quæ dixit comprobo uerba,
Qui fuerat ſeruus ſit gener ille mihi.
Tu ſimiles etiam gnato concede triumphos,
Cuſtodis gnatam debet habere ſibi.

Elſa.

Iram pone tuam coniunx reuerendæ ſeuæram,
Quæq; placet ſuperis ſit nurus illa tibi.

Metz.

O precibus noſtris Deus aures prebe benignas,
Qui certam fidei pollicitaris opem.

Contz.

Et tu chare pater ſocium permitte cubile,
Quæ ſummus mandat iuſſa capeſſe deus.

Heintz.

Si ſic fata iubent, iram depono cruentam,
Iuſtitiæ mecum nunc ſit ubiq; locus.
Huc igitur ſocrusq;, nurus, dilecta uenite,

SCENA IIII.

Lis habeat finem, limen adite meum.

Ditz.

Et me de genero circumſpectabo miniſtro,
Neſciui fuerat quod gener ille meus.

Geut.

Filia chara caue, ne uana ſuperbia mentem
Inuadat rurſus: non ea grata deo eſt.

Metz.

Id faciam, ſed quo fortunet cætera Chriſtus,
Hic poſthac dempto fine rogandus erit.

Elſa.

Quod tandem fines res eſt ſortita petitos,
Gratulor ex animo filia chara tibi.

Ditz.

Hæc uia non apta eſt multis ſine fine loquelis,
Cætera ſunt nobis conficienda domi.

Contz.

Huc mea ſponſa ueni. Ditz. *quæ reſtant intus agentur.*
Plaudite, Neſtoreos uiuat uterq; dies.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Erratula ſic corrige: